

Reverendissimo P. Generali ad id deputatis. Sic habet regula quinta : « In theologia doctrinam S. Thomæ, ut cavetur quarta parte constitutionum, cap. 14, nostri sequantur, exceptis paucis. » Inter autem pauca illa excepta, sic numero 6 legitur : « Causas secundas esse proprie et univoce instrumenta Dei, et cum operantur, Deum in illas primum influere, aut eas movere. » Hunc libellum Tolosæ in conventu D. Thomæ Aquinatis asservari, testatur P. Antonius Massoulié, seque ipsum sæpe legisse, et hæc quæ referimus propria manu ex illo exscripsisse. Equidem alter fuit postea editus Antverpiæ, in quo hæc desiderantur : qua mente vel causa, non inquiri. Sufficit nobis ita censuisse sex illos Patres prioris authores.

2º Molina ipse hanc de prævia motione sententiam esse a D. Thoma traditam fatetur in *Concordia*, q. 14, a. 13, disp. 26. Item Jesuitæ Conimbricenses in II lib. *Physic.*, cap. 7, q. 15.

Asseritur præmotio rationibus ex S. Thoma depromptis.

Prima ratio sic proponitur. Deus est primus motor et prima causa efficiens, cui omnes causæ secundæ et omnia moventia creata immediate subordinantur in agendo et movendo. Atqui, seclusa præmotione physica, non salvatur in Deo primatus causæ nec subordinatio causarum secundarum in agendo. Ergo. — Major est principium constans in D. Thoma, omnibus theologis et philosophis probatum, ita ut temerarius foret qui illud negaret. Sicut enim certo Deus est primum ens, a quo omnia entia immediate participantur, ita est prima causa efficiens, cui omnes causæ secundæ immediate subordinantur et a qua dependent in agendo. — Prob. min. Subordinatio causarum in agendo in hoc sita est, quod prima moveat et applicet secundas ad agendum, et secundæ non agant, nisi motæ a prima. « Si sint multa agentia ordinata, inquit S. Thomas, 1ª p. q. 103, a. 3, o, semper secundum agens agit in virtute primi agentis; nam primum agens movet secundum ad agendum. Et secundum hoc, omnia

agunt in virtute ipsius Dei. » Id etiam patet, non solum ex ipsa notione subordinationis in agendo, sed etiam inductione et apertissimis exemplis. Sic, in moralibus et artificialibus, inferiores artifices in tantum sunt et dicuntur subordinati alicui primo artifice, milites duci, monachi abbati, in quantum agunt juxta applicationem et determinationem moralem receptam, artifices ab architecto, milites a duce, monachi ab abbate; ita ut, si inferior artifex sine applicatione morali superioris architecti agat, miles sine jussu ducis pugnet, monachus nutu suo et non abbatis se gerat, hoc ipso evertatur subordinatio. Atqui motio qua primum movens, seu prima causa in genere causæ efficientis, movet et applicat secundum, est præmotio physica; ut enim superius dicebamus et per se patet, motio moventis est natura et causalitate prior motu mobilis. Ergo.

Confirmatur. Primatus causæ in Deo et subordinatio causarum secundarum ad illum in agendo, salvari non potest per concursum simultaneum, neque per motionem moralem, neque per hoc quod Deus causis secundis dederit virtutem agendi. Ergo per solam præmotionem physicam seu concursum prævium. Consequentia patet a sufficienti enumeratione; nihil enim aliud est assignabile per quod subordinatio causarum possit salvari.

Prob. prima pars ant. Non per concursum simultaneum; quia concursus simultaneus non movet causam secundam, non influit in illam, non facit ut faciat, sed facit eum illa, et in solum effectum influit, aliter non foret simultaneus, sed prævius, sicque haberemus intentum. Unde Deus per illum est concausa, sed non prima causa. Neque obstat quod sit perfectior et dignior concursu causæ secundæ. Id quidem facit et ostendit quod causa sit perfectior et dignior, seu prima in ratione dignitatis et perfectionis, non autem prima in causando et in genere causæ efficientis, de quo agitur.

Dices: Concursus simultaneus est etiam ad actionem creaturæ, et non tantum ad ejus effectum. Ergo.

Resp. Dist. ant. Concursus simultaneus est etiam ad

actionem creaturæ, ut effectus est, *conc.*; reduplicative ut actio est, seu ut est formaliter a causa secunda, *nego*. Non enim per concursum simultaneum Deus movet causam secundam ad agendum, nec facit ut faciat, sed facit tantum cum illa; aliter, ut jam dictum est, non foret simultaneus, sed prævius. Ad subordinationem autem in agendo, non sufficit quod producat actionem cum causa secunda, nec quod faciat cum illa, sed requiritur quod illam moveat et determinet ad agendum, et faciat ut faciat. Confer in tract. *de Deo*, dissert. VI, *de Scientia media* §§ 4, 6 et 7, et dissert. VIII, *de Decretis* a. 1 et 2.

Prob. secunda pars ant. Non per motionem moralem; quia motio moralis potest quidem constituere subordinationem in ordine morali et in genere causæ finalis, at non in ordine physico et in genere causæ efficientis, de quo hic agitur; est enim Deus primus motor et prima causa in ordine physico et in genere causæ efficientis, et non solum in genere causæ moralis et finalis. Aliter foret tantum primus motor et prima causa respectu agentium liberorum, quæ sola sunt capacia motionis moralis, non agentium naturalium. Confer *de Decretis*, loco proxime citato.

Prob. tertia pars ant. Non per hoc quod Deus causis secundis dederit virtutem agendi: 1° quia hanc opinionem ut erroneam proseribit S. Thomas, III *Cont. gent.*, cap. 88. 2° Quia id admisit Pelagius, et fuit damnatus. 3° Quia reincidit in sententiam Durandi, negantis immediatum Dei influxum in actiones creaturarum, quam omnes improbant. 4° Tandem quia non constituit subordinationem causarum secundarum primæ in causando, sed in essendo tantum, ut patet ex dictis. Confer *de Decretis*, loco citato.

Secunda ratio sic proponitur. Causa ex se indifferens et indeterminata ad agendum vel non agendum, ad hoc vel illud agendum, non potest determinari ad unum potius quam ad aliud, nisi per præmotionem physicam. Atqui homo est indifferens ad agendum vel non agendum, ad hoc vel illud agendum. Ergo. — Min. est certa; in hac

enim indifferencia sita est libertas hominis. — Prob. maj. Causa ex se indifferens et indeterminata ad hoc vel illud, non potest se ipsam determinare ad unum potius quam ad aliud; quia, cum supponatur indifferens, non est ratio cur in hoc potius quam in illud propendeat, nec a causa indifferenti, ut tali, potest magis procedere effectus determinatus quam calidum ex frigido. Neque determinari potest per concursum simultaneum; quia, ex ipsis adversariis, concursus simultaneus offertur indifferenter ad utrumlibet, et aliunde non influit in causam ut illam determinet, sed supponit determinatam. Neque per motiones morales; quia, ut jam dixi, motiones morales non movent voluntatem nisi objective et alliciendo, non intrinsece, eam immutando: unde, posita quacumque motione morali, voluntas est adhuc indeterminata et indifferens ad hoc vel illud. Restat ergo quod per solam præmotionem physicam possit determinari.

Tertia ratio. Deus est causa efficiens immediata et universalis omnis entis et omnium ejus modorum. Ergo est causa physica immediata actionis reduplicative ut actio est, et prout formaliter procedit et dependet a voluntate; actio enim, sub ista ratione, et hæc ejus processio et dependentia a voluntate est aliquid in rerum natura, nempe modus entis et ipsa libertas in exercitio, per quam meremur vel demeremur. Atqui non potest esse causa efficiens immediata actionis sub ista formalitate, nisi per præmotionem physicam, per quam applicat voluntatem ad agendum et facit ut faciat; per concursum enim simultaneum facit cum facit, non facit ut faciat: per motiones autem morales est causa moralis tantum, non efficiens et physica. Confer *de Decretis*, a. 2, § 4, primam responsionem adversariorum.

Nota. Omnia fere quæ dixi contra scientiam mediam, pro decretis prædeterminantibus et pro gratia per se efficaci, militant pro præmotione physica. Ideo conferranda.

Quantum ad objectiones quæ petuntur ex autoritate, ex læsione libertatis, ex insufficientia auxilii et ex affinitate

cum Calvinismo, solutas habes dissert. cit. *de Decretis*, a. 3. Quæ vero petuntur ex læsione sanctitatis divinæ, solutæ sunt ibid., § 7.

Qui plura cupit, adeat Sylvium, de motione primi motoris; P. Antonium Massoulié, in opere *D. Thomas sui interpres*, tom. I, dissert. 1 et 2; sed potissimum P. Antonium Goudin, in *Metaphysica*, disp. II, q. 3, qui hanc materiam, meo iudicio, non minus solide quam dilucide et ad captum omnium tractavit.

ARTICULUS VIII

De causa gratiæ

[Suppono ut certum, causam finalem gratiæ habitualis proximam esse salutem æternam habentis illam (habitualis, inquam, quia de hac præcise quæritur, et nonnisi indirecte de gratia actuali, quatenus scilicet est motus ad habituales, ut ad formam et terminum); ulteriorem esse Christum; ultimam Deum, juxta illud, *I Cor.*, III, 22 et 23: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*. Insuper, causa materialis est ipsa essentia animæ; causa formalis nulla est, quia gratia est simplex forma; causa instrumentalis est humanitas Christi, cum sacramentis Ecclesiæ; angeli et homines sunt causa ministerialis, angeli subministrando illustrationes quibus perveniamus ad gratiam, homines non solum instruendo, sed et ministrando sacramenta; tandem causa meritoria principalis est Christus, et minus principalis homo justus, qui et sibi potest mereri de condigno augmentum gratiæ, et alteri de congruo primam gratiam et deinde incrementum hujus gratiæ¹. His suppositis,

Petes 1º utrum Deus solus sit causa principalis efficiens gratiæ.

1. Cfr. conc. Trid., sess. VI, cap. 7.

Resp. affirmative.

Probatur 1º ex Script. *Job*, XIX, 4, dicitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? Psal.* LXXXIII, 12: *Gratiam et gloriam dabit Dominus*.

Probatur ratione¹. Nihil potest propria virtute efficienter producere aliquid quod sit nobilius, perfectius et altioris ordinis quam ipsum sit; causa enim principalis efficiens est majoris seu saltem æqualis perfectionis cum effectu. Atqui gratia est quid nobilius, perfectius et altioris ordinis quam quodvis agens creatum, cum sit participatio divinæ naturæ, ut supra dictum est. Ergo.

Confirmatur. Illius solius est producere gratiam per modum causæ principalis efficientis, cujus est deificare, dare jus ad hæreditatem et peccata dimittere. Atqui id Dei solius est proprium: ille enim solus potest alios deificare, qui per seipsum Deus est; ille solus potest dare jus ad hæreditatem, qui hæreditatis est dominus; ille solus peccata dimittit, quem peccatum offendit. Ergo.

Petes 2º utrum gratia creetur, vel educatur de potentia obedientiali animæ.

Quidam tenent gratiam creari, quidam concreari, alii et communius educi de potentia animæ. Cum his posterioribus

Resp. Gratia non creatur, nec concreatur, sed educitur de potentia obedientiali animæ.

Probatur prima pars. Creari est proprium rei subsistentis². Atqui gratia non est ens subsistens, sed accidens inhærens. Ergo. — Prob. maj. Creari est quoddam fieri, et hoc fieri ordinatur ad esse, imo est esse inchoatum: unde illis solis proprie convenit fieri et creari, quibus convenit esse. Atqui esse proprie convenit solis subsistentibus, sive sint simplicia, ut substantiæ separatæ, sive composita, ut substantiæ materiales. Ergo. — Prob. min.

1. Hic q. 112, a. 1, o. — 2. 1º p., q. 45, a. 4, o; q. 27 de *Veritate*, a. 3, ad 9.

Illi proprie convenit esse, quod habet esse et in suo esse subsistit. Atqui accidentia non dicuntur entia quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est tale¹, ut albedo ea tantum ratione dicitur ens, quia ea subjectum est album : unde accidens magis dicitur entis quam ens. Ergo.

Probatur etiam secunda pars, nempe quod gratia non concreetur, et patet. Forma enim inhærens concreari dicitur, quando producitur per ipsam actionem subjecti creativam. Atqui actio producens in nobis gratiam, non creat simul ejus subjectum, sed supponit illud, scilicet animam. Ergo.

Probatur hinc tertia pars, scilicet quod gratia educatur de potentia obedientiali animæ. Creatio enim et educio contradictorie opponuntur : creatio consistit in fieri ex nullo præsupposito subjecto ; educio, e contra, est fieri ex aliquo subjecto præsupposito. Atqui gratia non creatur nec concreatur, ut supra probatum est. Ergo educitur.

Confirmatur. Educi est fieri dependenter a subjecto. Atqui gratia in suo fieri connaturaliter dependet a subjecto. Ergo. — Prob. min. Ab eo gratia dependet in fieri, a quo dependet in esse ; utriusque enim eadem est ratio, si connaturaliter fiat. Atqui in esse gratia dependet a subjecto. Ergo.

Objicies : Gratia dicitur in Scriptura creari. *Psal.* l, 12 : *Cor mundum crea in me, Deus.* *Galat.*, vi, 15 : *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura, scilicet gratia.* *Ephes.*, ii, 10 : *Ipsius sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis ;* quod de gratia tantum intelligi potest. Ergo.

Resp. gratiam dici creari quasi moraliter, quia nullum meritum præsupponit². At non creatur physice ; nam subjectum præsupponit. Unde etiam rarius in Scriptura exprimitur per creationem, sæpius vero per generationem, vivificationem, reformationem, resuscitationem, et similes terminos.

1. Hic q. 110, a. 2, ad 3. — 2. Ibid.

Petes 3^o utrum ad gratiam requiratur aliqua præparatio seu dispositio ex parte hominis.

Resp. 1^o. Quantum ad gratiam actualem, certum est quod nulla præparatio requiratur ex parte hominis, quasi præveniens divinum auxilium, sed potius quæcumque præparatio quæ in homine esse potest, est ex illo auxilio Dei moventis animam ad bonum.

Resp. 2^o. Juxta communem providentiæ divinæ cursum, requiritur ex parte hominis adulti sui compotis quædam dispositio ad gratiam : quæ dispositio est actus et motus liberi arbitrii in Deum. Dixi, « hominis adulti sui compotis ; » nam constat infantibus non conferri gratiam per baptismum mediante dispositione liberi arbitrii, eujus non sunt capaces, sicut nec amentes perpetui.

Utraque pars responsionis videtur de fide decisa a concilio Trid., sess. vi, cap. 6, his verbis : « Disponuntur autem [adulti] ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum. » Et can. 9 : « Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi ; anathema sit. »

Id etiam aperte innuit S. Scriptura. *I Reg.*, vii, 3 : *Præparate corda vestra Domino.* *Zach.*, i, 3 : *Convertimini ad me, dicit Dominus exercituum, et convertar ad vos.*

Probatur prima pars ratione¹. Forma perfecta et completa, dans esse fixum et permanens, juxta communem providentiæ divinæ cursum non introducit in subjectum, nisi sit dispositum et præparatum. Atqui gratia habitualis est forma perfecta et completa, dans esse supernaturale fixum et permanens. Ergo. — Minor constat. — Major etiam patet, tam in naturalibus quam in supernaturalibus. Sic in naturalibus, formæ substantiales, sive animatæ sive inanimatæ, non introducuntur nisi in

1. Hic q. 112 a. 2, o.

materiam dispositam; in supernaturalibus, divina essentia, ut forma intelligibilis, non unitur intellectui beato nisi per lumen gloriæ disposito.

Probatur secunda pars item ratione¹. Confertur gratia homini adulto a Deo movente ipsum. Atqui Deus movet omnia secundum modum cujusque; homo autem est secundum naturam liberi arbitrii, ideoque proprium est illi moveri per liberum arbitrium. Ergo in adulto non fit a Deo motio ad gratiam sine motu liberi arbitrii.

Confirmatur. Secundum communem divinæ providentiæ cursum, forma non introducit nisi in subjectum juxta proprium modum dispositum. Atqui proprius modus quo homo sui compos se disponit ad bonum, est per actum liberi arbitrii. Ergo.

Dixi, « secundum communem divinæ providentiæ cursum; » quia negari non debet quin Deus de potentia absoluta possit conferre gratiam non disposito, ut dormienti, cum in hoc nulla sit repugnantia. Sed de communiter contingentibus tantum, utpote regulam et legem constituentibus, ratiocinandum est.

Nota, actus liberi arbitrii a Deo motos, non effective, sed dispositive tantum ad gratiam concurrere. Nam concilium Trid., sess. vi, cap. 7, hoc docet: « Hujus justificationis causæ sunt: ... efficiens, misericors Deus; ... instrumentalis, sacramentum baptismi. » Et D. Thomas dicit, q. 28 de *Veritate*, ad 2: « Pœnitentiæ sacramentum habet conferre gratiam ex virtute clavium, quibus se pœnitens subjicit. Contritio igitur, si secundum se consideretur, non se habet ad gratiam nisi per modum dispositionis; sed, si consideretur in quantum habet virtutem clavium in voto, sic sacramentaliter operatur in virtute sacramenti pœnitentiæ, sicut et in virtute baptismi, ut patet in adulto qui habet sacramentum baptismi in voto tantum. Ex hoc igitur non habetur quod contritio sit causa efficiens remissionis culpæ, per se loquendo, sed virtus

1. Hic q. 113, a. 3, o.

clavis vel baptismus. » Idem docet in *IV Sentent.*, dist. 17, q. 2, a. 3, quæstiunc. 1.

Petes 4^o utrum gratia sit major in uno quam in alio.

Resp. affirmative¹. Id passim indicant Scripturæ. Ratio est, quia commune est omni subjecto ut plus vel minus formam recipiat, secundum quod est plus vel minus dispositum ad illam. Proxima ergo ratio hujus inæqualitatis gratiæ est inæqualitas dispositionum ex parte hominis; prima et remota est voluntas Dei, quæ non solum gratiæ, sed etiam dispositionis ad illam est author, *dividens singulis prout vult*, I *Cor.*, xii, 11, et *unicuique dans gratiam secundum mensuram donationis Christi*, *Ephes.*, iv, 7. Unde, sicut inæqualem gratiam, ita et inæqualem dispositionem ad illam tribuit, *ad consumptionem sanctorum, in ædificationem corporis Christi*, ut ibidem additur, id est, ut ex diversis gradibus pulchritudo et perfectio Ecclesiæ consurgat, sicut etiam in rebus naturalibus diversos gradus entium instituit, ut esset universum perfectum.

Petes 5^o utrum aliquis possit esse certus se esse in gratia.

*Resp.*². Seclusa speciali revelatione, nemo potest esse certus se esse in gratia certitudine absoluta, cui non possit subesse falsum, aut saltem quæ excludat omnem formidinem; sed solum certitudine secundum quid, morali et conjecturali. Est contra Lutheranos et Calvinistas asserentes unumquemque christianum credere teneri se fuisse justificatum, et hac sola fide homines justificari. Est etiam contra quosdam catholicos, inter quos Catharinus contendit hominem posse esse certum se habere gratiam certitudine absoluta, non quidem fidei immediate, sed mediante discursu theologico; Vega vero certitudine morali quæ omnem excludat formidinem, qualis est certitudo de existentia urbis Romæ.

Probatur prima pars. 1^o Ex S. Scriptura. *Eccles.*, ix, 4:

1. Hic q. 112, a. 4, o. — 2. *Ibid.*, a. 5, o.

Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei; et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit. Eccii, v, 5 : De propitiato peccato noli esse sine metu. I Cor., iv, 4 : Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est. Hoc de seipso dicit Paulus, qui tunc certe justus erat.

2° Ex concilio Trid., sess. vi, cap. 9 : « Quamvis necessarium sit credere, neque remitti neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis, divina misericordia, propter Christum; nemini tamen fiduciam et certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti, et in ea sola quiescenti, peccata dimitti vel dimissa esse dicendum est... Sed neque illud asserendum est, oportere eos qui vere justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse justificatos, neminemque a peccatis absolvi ac justificari, nisi eum qui certo credat se absolutum et justificatum esse, atque hac sola fide absolutionem et justificationem perfici : quasi qui hoc non credit, de Dei promissis deque mortis et resurrectione Christi efficacia dubitet. Nam, sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet; sic quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. » Hoc decreto supradicti errores conficiuntur.

3° Ratione ex S. Thoma. Postquam hic q. 112, a. 3, o, demonstravit hoc certo sciri non posse nisi per revelationem, si forte adsit, addit secundum modum quo idem sciri nequit : « Alio modo homo cognoscit aliquid per seipsum, et hoc certitudinaliter. Et sic nullus potest scire se habere gratiam. Certitudo enim non potest haberi de aliquo, nisi possit dijudicari per proprium principium; sic enim certitudo habetur de conclusionibus demonstrativis per indemonstrabilia universalia principia. Nullus autem posset scire se habere scientiam alicujus conclusionis, si principium ignoraret. Principium autem gratiæ

et objectum ejus est ipse Deus, qui propter sui excellentiam est nobis ignotus... Et ideo ejus præsentia in nobis et absentia per certitudinem cognosci non potest, secundum illud, *Job, ix, 11 : Si venerit ad me, non videbo eum; si autem abierit, non intelligam.* Et ideo homo non potest per certitudinem dijudicare utrum ipse habeat gratiam, secundum illud, *I Cor., iv, 3 et 4 : Sed neque meipsum judico... Qui autem judicat me, Dominus est.* »

Probatur secunda pars. Hominem posse scire certo certitudine secundum quid, morali et conjecturali, ex signis et indiciis, se esse in gratia, nemo negat. Quæ vero sint hæc signa et indicia explicat Angelicus, ibidem : « Tertio modo cognoscitur aliquid conjecturaliter per aliqua signa. Et hoc modo aliquis cognoscere potest se habere gratiam, in quantum scilicet percipit se delectari in Deo et contemnere res mundanas, et in quantum homo non est conscius sibi alicujus peccati mortalis. Secundum quem modum potest intelligi quod habetur *Apocal., ii, 17 : Vincenti dabo manna absconditum, ... quod nemo novit, nisi qui accipit*; quia scilicet ille qui accipit, per quamdam experientiam dulcedinis novit, quam non experitur ille qui non accipit. Ista tamen cognitio imperfecta est. Unde Apostolus dicit, *I Cor., iv, 4 : Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*; quia, ut dicitur in *Psal. xviii, 13 et 14 : Delicta quis intelligit? Ab occultis, etc.* »

Suadet etiam suavis divinæ providentiæ dispositio ut, quemadmodum non oportuit ut homo omnimodam suæ justitiæ certitudinem haberet, ne in superbiam et præsumptionem efferretur; ita congruebat ut moralem et conjecturalem certitudinem haberet, ne perpetua animi turbatione cruciaretur, sed inter timorem et spem salutem suam operaretur.]